DE JURE ACCRESCENDI PERMISSU & AUTORITATE INCLYTAE FACULTATIS...

Ortolph Fomann, Carl Zenner, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

THESIS I.

LEge 12. tab. larga nimis poteſtas & heredes inſtituendi & legata & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi, tributa erat, *l. 120. ff. de V. S.* quæ faciebat ut quis ſimul teſtatus & inteſtatus decedere poterat. *Ampliſſ. Dn. D. Riemer Præceptor meus omni obſervantia colendus part. 1. d. J. A. cap. 2. n. 1.* ac proinde uno conjunctorum deficiente, pars, vacua alteri Jure Accreſcendi minimè deferebatur. *Suev. 1. de J A. 3.*

2. Verùm perinde ut alias naturaliter evenire ſolet, ut latæ Leges interpretationem Prudentum deſiderent. *l. 2. §. 5. ff. de O. J.* ita & hoc in paſſu, quæ antiquitatis Romanæ ſimplicitas nimis laxa reliquit, *Gœdd. ad l. 118. num. 3. ad l. 120. n. 1. ff. de VS.* non exiguam reſtrictionem à mediâ Juriſprudentia paſſa ſunt *Suev. d. loco Hillig. ad Donell. 7. comm. 12. lit. B.*

3. Cum enim 1. una eademque res diverſo jure cenſeri nequeat *l. 13. in fin. ff. de lib. cap.* 2. Hereditas ſit res individua, *l. 8. in fin. ff. de Reb. vind.* 3 Defunctus ab herede non poſſit pro parte repræſentari, *§. 2. Inſt. de hered. Inſt. Philipp. Matth. ad l. 7. num. 1. 2. 3. de R. J. Hænon Diſput. 2. de R. J. ad d. l. 7.* 4. Teſtamentum non dici poſſit pro parte valere, *l. 15. ff. qui teſt. fac. poſſ. l. 1. ff. de inuſt. rupt. Dœr. 1. de J. A. 2.* Neceſſarium eſſe viſum eſt, ut univerſa hereditas, vel ex teſtamento vel ab inteſtato alicui deferatur. Nec enim natura patitur, ut quæ pugnant inter ſe, veluti teſtatus & inteſtatus, in eodem ſubjecto concurrant. *Philipp. Matth. d. loc. num. 4.* Nam eo ipſo quod teſtamentum defunctus perfecit, præſumitur, quod teſtatus non inteſtatus decedere voluit, quæ voluntas nullam recipit diviſionem. *l. 18. in fin. ff. de his quæ ut indign. auf.* Unde conſequebatur magna libertatis teſtandi coarctatio, ut nemo pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedere poſſet; quam neceſſario excipiebat Juris Accreſcendi introductio, ne ſi quoſdam heredes ſcripſiſſet conjunctim, altero deficiente pars ad cauſam inteſtati recideret, *arg. l. 74. ff. de hered. inſtit.* ubi autoritati Galli Aquilii qui L. Papia Poppæa prior, ſed L. 12 tab. poſterior fuit, Jus Accreſcendi tribuitur. *Ampliſſ. Dominus D. Riemer. d. loc. num. 1.*

 4. Poſtea

4. Poſtea vero Lex Julia Papia Jus Accreſcendi ſolis parentibus & liberis usque ad tertium gradum reſervarit, *l. unic. pr. verſ. & cum. C. de Cad. toll.* cæteris Caduca [quæ jure relicta capaci aliqua ex cauſa poſt mortem teſtatoris in fiſcum cadunt, ſeu quæ quis cœpit capere non poſſit *Cujac. Paratit. C. de Cad. tol. d. l. un. §. 2. in fin. C. eod.*] imponendo, rurſum ademit, *Sueb. 2. de I. A. 3.* Quod JCtis ita diſplicuit, ut ſi vel minima eſſet dubitandi ratio, Jus Caducorum tanquam invidioſum, *d. l. un. pr. verſ. & quemadmodum*, coercebant & contra fiſcum pronunciabant, *l. 10. ff. de jur. fiſci.* Ipſi quoq; teſtatores, ne caduca fierent, crebris ſubſtitutionibus utebantur, *d. l. un. pr verſ. ſed ipſis l. 5 de vulg. & pup. l. 75 §. 1. de Leg. 2. Cujac. d. loc. Dn. D. Riemer, d. loc. c. 3. n. 3.*

5. Denique ſeneſcente ita paulatim Lege Caducaria, Imperatores ipſi nonnulla ejus capita ſuſtulerunt, donec Juſtinianus Caduca penitus abrogaret, & quod ſolis parentibus & liberis Lex Papia dedit, omnibus heredibus & legatariis communicaret, reſtituto jure antiquo, *d. l. un. pr. in fin.* quo etiamnum utimur, *Cujac. & Dn. D. Riemer. d. loc. Andr. Gerhard. Diſſ. de teſtam. 7. th. 5. 6.*

6. Invenimus autem hanc Juri Accreſcendi appellationem in *l. 59. de adquir. hered. l. 3. §. fin. de bon. poſſeß. l. 17. §. 1 de hered. inſt. l. 1. pr. §. ult. l. 3. pr. §. 2. l. 6. §. 1. l. pen. de uſufruct. accreſc. & aliis ſexcentis.* Dicitur etiam Jus conjunctionis, *l. 16. in fin ff. quib. mod. uſuſr. amitt. Dn. D. Riemer. d. loc. cap. 1. num. 3.* Nonnullis placet vocare Jus non decreſcendi. Id enim *Cujac. in Paratit. de uſufr. accreſc.* accreſcere eſt, quod altero concurrente decreſceret, & vulgo recte explicari putat, accreſcit, i. e. non minuitur, *l. 10. de Leg. 3.* Sed *Bachov. volum. 2. diſp. 11. th. 3. lit. A.* id ipſum improbat, tum quod in illa ſignificatione priſcis JCtis incognitum, tum quod non niſi res in ſolidum jam adquiſita, non decreſcere dici poſſit, tum quod latinæ aures eum loquendi modum, *Jus non decreſcendi* reſpuant.

7. Variæ verbi *accreſcere* in jure noſtro reperiuntur ſignificationes. Proprie namque plantæ coaleſcentes accreſcere dici videntur, quod Juriſprudentia in tropicam ſibi accivit elegantiam, ut generaliter ad quamcunque acceſſionem referret, cujus exempla extant in *conſtit. Tanta §. pen. circa fin. in l. 30. 59. ff. de adquir. rer. dom. l. 1. in fin. C. de alluv.* in *pr. I. d. exhered. lib.* in *l. 13. §. 1. de hered. inſtit. §. 7 Inſt. eod.* in *§. ult. Inſt. de donat. Duar. 1. de J. A. 1. Cyriac. Herdeſ. diſp. 14. ad Inſt. th. 15. lit. A. Juſtin. Mejer. ad lib. 30. 31. 32. ff th. 35. Hillig. ad Donell. 7 comm. 12. lit. A.* Specialiter in noſtra materiâ dicitur Accreſcere cum conjuncto portio deficientis jure accedit. Hoc modo rurſum tripliciter ſumitur, 1. Generalius, quando dividitur in Jus accreſcendi in ſpecie ſic dictum & jus non decreſcendi, 2. Specialius quando contradiſtinguitur juri non decreſcendi. 3 Quando portio jam adquiſita alteri accreſcit, quod tantum in uſufructu contingit *l. 3. § 2. ff. de V. A. Dominus D. Riemer. d. loc. cap. 1. num. 1. Sueb. 1. de J. A. 1.*

8. In de-

8. In definiendo Jure Accreſcendi mire variant DD. nos hanc defendere conabimur. Jus Accreſcendi eſt modus adquirendi jure civili portionem vacantem mediante conjunctione, *Andr. Gerhard. diſſ. 7. th. 8. [illegible] fin. [illegible]*

9. Diviſionem illam in Jus Accreſcendi in ſpecie ſic dictum & jus non decreſcendi, probare non poſſumus. 1. quod jus non decreſcendi non excludat ſed potius inferat jus accreſcendi. Quod enim non decreſcit, accreſcere dicendum eſt, *l. 11. de leg. 3.* 2. Quod non decreſcit id jam habemus, *[illegible] ſed apud ipſum, qui habet, ſolidum [illegible] C. de C. T.* ſed id fieri non poteſt ſine adquiſitione, quæ nulla alia poteſt eſſe, quam ea quæ fit per jus accreſcendi, ut id cujus alias jure legati vel hereditario ſaltem partem haberemus, totum conſequamur. 3. Omnes conjuncti ab initio habent ſolidum, *l. 80. de Leg. 3.* Ergo in omnibus conjunctis erit Jus non decreſcendi, & conſequenter jus accreſcendi penitus tolletur, quod abſonum videtur, *ſup. th. 6. V. Sueb. 1. de I. A. 5. Hillig. ad Donell. d. loc. lit. L.* Alii jus accreſcendi in reale & perſonale diſtribuunt, illud dicunt quando portio portioni; hoc quando perſonæ, non habenti portionem, accreſcit, *l. 10. de V. A. l. 14 §. 1. ff. de except. rei judic. Clariſſ. Dn. [illegible] Cabac. centur. 3. poſt. dec. 6. q. 3. Diſſ. de I. A. th. 45.* De eo quid judicandum, diſcurſus docebit.

10. Cauſam remotam Juris Accreſcendi jam diximus fuiſſe mediam Juriſprudentiam, & Juſtinianum, qui id, quod Lege Julia Papia erat magna ex parte ſublatum, reſtituit, *l. un. C. de C. T.*

11. Cauſa impulſiva generalis reddi nequit, *Dn. D. Riemer. d. loc. cap. 4 num. 1 & cap. 6. num. 1.* Vulgo quidem DD. hanc tradunt, ne ſc. quis pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedat, *l. 7. de R. I. l. 41. ff. de teſtam. milit.* quam impugnat, *Iaſon. ad l. re conjunct. de Leg. 3. num 112.* Sed refutatur ab *Alciat 4. Paradox. 8.* Cui adde *Suebium 1. de I. A. 2. Hillig. ad Donel. 7. [illegible] 11. lit. C. Dn D. Riemer. d. loc. cap. 6 num. 1.* Hoc tamen verum eſt, quod illa ratio Legatis & Bonorum poſſeſsioni contra tabulas, ubi etiam Jus Accreſcendi cernitur, *l. 12. pr. de bon. poſſeſſ. contra tab.* non per omnia conveniat, inquit *Sueb. d. loc. p. 11.* Duas rationes habet, *Duarenus 1. de J. A. 2.* Una eſt ex *d. l. un. §. 10. verſ. in his itaq.* quod abſurdum ſit partem hereditatis agnoſcere partem repudiare, idque propter uniformem repræſentationem, *pr. Inſt. de ſtip. ſerv. l. 22. ff. de uſucap. l. 34. de adquir. rer. dom. Nov. 48. pr.* quæ diverſo jure cenſeri nequit, *l. 10. de act. emt. l. 13. § fin. de uſucap. Ramus axiom. 52.* Unde recte dicitur, *l. 1. de adquir. hered.* qui totam hereditatem adquirere poteſt, is pro parte eam ſcindendo adire non poteſt: quod tam in teſtamentaria quam legitima ſucceſsione procedere affirmat, *Dn. D. Riemer. d. c. 6. n. 3.* Altera Duareni ratio ad Legatarios eſt directa, quod ſi tantum partem accipiat honoratus, injurius videatur in teſtatorem, cujus voluntatem, quam ipſe contemnit & faſtidit, LL. conſervare nituntur. Quæ ratio licet efficiat, inquit, ut nec totum

legatum repudiare poſsit, tamen ſufficere videtur ad faſtidium legatarii coërcendum, ne partem legati adquirere partem repudiare permittatur. Verum *Hillig. ad Donell. 8. comm. 18. lit. C.* infirmam hanc rationem eſſe judicat, Nam ſi legatarius non faſtidio ſed heredis gratia id faceret, tolerari deberet. Ipſe magis arridet hæc, quod certum legatum honoratus agnoſcere vel totum repudiare debet. Nam partem agnoſcere nequit, *l. 4. & 58. de Leg. 3. l. 56. de condit. & demonſtrat.* Obſtat enim judicium teſtatoris indiviſibile, quod pro parte improbari non poteſt, *Sueb. d. cap. 2. p. 10. Dn. D. Riemer. d. cap. 6. num. 4.* & ipſius Legatarii, qui dum partem approbat partem improbat, *l. 16. de adim. leg.* pugnantia loquitur, ideoque non audiendus *arg. l. 2. §. 1. ff. quando appell. ſit.*

12. Cauſa proxima in hereditatibus teſtamentariis & in Legatis ac fideicommiſſis eſt voluntas teſtatoris, quæ ſubſtitutioni comparatur, *l. 41. §. 1. de Leg. 2.* Nam teſtator eo ipſo, quod plures ad eandem rem vocat, oſtendit malle ſe quidem omnes conjunctos rem pro genere conjunctionis habere, non in ſolidum ſed partibus indiviſis. In caſu vero quo aliqui deficerent, malle conjunctos pro ut quisque conjunctorum prior, illorum partem adquirere, quam heredem vel omnino disjunctum. *Hillig. ad Donell. 7. comm. 12. lit. B. & 13. lit. M.* Et cum hanc libertatem voluntati teſtatoris tribuit Lex, ut hereditatem vel legatum conjunctim aut disjunctim relinquere poſſit, merito conjunctionem teſtamentariam non immediate legi ſed voluntati hominis adſcribimus, cum in teſtamentis pro lege ſervetur, *Nov. 22. cap. 2. pr. Sueb. 2. de J. A. 1.* In ſucceſſionibus ab inteſtato proximior Juris Accreſcendi nulla eſt cauſa, quam Lex, diſponens proximiores cognatos defuncti hereditatem conſequi, *t. t. Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. de leg. agn. ſucceſſ. t. t. ff. & C. de ſuis & Leg. hered. Nov. 118. Duar. 1. de J. A. 1. Sueb. 2. de J. A. 1. Barbоſ. d. lib. 3. lit. A.*

13. Cauſa inſtrumentalis, qua utitur vel Lex, vel hominis voluntas in Jure accreſcendi conſtituendo, eſt conjunctio, *l. 1. & 11. de V. S. Sueb. d. cap. 1. p. 49. Donell. d. cap. 12. lit. B.* Eſt autem conjunctio in hac materia plurimum ad eandem rem eodem ſucceſſionis genere convocatio. *Duar. 1. de J. A. 4. Donell. 7. comm. 13. & ibid. Hillig. Gædd. ad l. 142. de V. S. num. 1. Gerhard. d. diſp. 7. th. 9.*

14. Requiſita conjunctionis à DD. proponuntur hæc. 1. Ut pluribus aliquid ſit relictum, quod ipſa vox conjunctionis ſatis arguit, *§. 8. Inſt. de Leg. l. 7. § 1. ff. quod cujuscunque univerſ. nom. l. 1. l. 19. §. 1. de reb. dub. Juſtus Meier ad lib. 30. & ſeqq. ff. th. 39.* Itaque cum ſervo communi legatum eſt, nulla eſt conjunctio, uni enim non duobus legatum eſt, *l. 20. de Leg. 2. Hillig. ad Donell. d. cap. 13. lit. D. Dn. D. Riemer. 1. de J. A. 5. n. 1.* 2. Ut eadem res ſit relicta, *arg. l. 84. § 12. de Leg. 1. l. 6. § 1. ff. commun. præd. l. 25. §. 1. de V. S.* Inter heredes quidem nihil refert ad conjunctionem faciendam, quibus ex partibus aut rebus inſtituantur, *l. 35. de hered. inſtit.*

Suffi-

ſufficit enim ab hereditatem tandem relinqui. In legatis multum inter-eſt, an in res certas & pro diviſo diſtributio fiet, an in incertas pro indi-viſo; hoc caſu partes magis intellectu quam corpore percipiuntur, *l. 5. ff. de ſtip. ſerv. l. 6. § 1. de Leg. 1.* neque conjunctionem impediunt. Imo etſi alteri uſusfructus legatus ſit alteri proprietas in eadem re conjuncti cenſentur; nam in uſufructu pro indiviſo conjuncti ſunt, *l. 3. §. ult. de V. A. l. 19. de Uſufruct. leg. l. 19. de V. S. Cujac. ad Afric. lib. 9 ad l. ſi proprietas, de V. A. p. 191.* 3. Ut ſint vocati eodem teſtamento, *l. 16. in fin. quib. mod. uſusfruct. amitt.* Patris autem & filii teſtamentum pro uno & eodem habemus, *l. 20. de Vulg. & pupill. § 1. Inſt. eod. l. 2. § 4. ff. eod. l. 34. §. 10. de leg. 1. l. 41. § 4. de Vulg. & pupill.* item codicilli & teſtamentum, cujus pars eſſe cenſentur, *l. pen. ff. quemadmod. teſt. aper. l. 16. in fin. ff. de jure Codic.* Unde nec à diverſis teſtatoribus relicta conjunctionem ſuſtinent. *Duar. 1. de J. A. 9. & 5. Sumb. d. cap. 1. Juſtus Mejer. ad lib. 7. ff. th. 11. Gerbard. d. diſp. 7. th. 19.* 4. Ut eodem ſucceſſionis genere vocentur, *arg. l. 6. de bon. poſſeſſ.* conjunctio enim debet eſſe ejuſdem naturæ. *Gerhard d. diſp. th. 20.* Nec diverſum in Uſufruct. agnoſcimus, nam *d. l. 7. 8. de V. A.* explicamus ex *l. 19. 34. § 11. l. 116. § 1. de Leg. 1.* Nec enim ratio diverſitatis inter uſumfructum & proprietatem legatam apparet. 5. Ut concurſu demum partes fiant, & ab initio ſolidum habeant conjuncti, *l. 80. de leg. 3. Juſtus Mejer. ibid. th. 39.* 6. Ut ab eodem herede relinquatur legatum, *l. pen. de uſufr. accreſc.* Nam cum heredes concurſu jam partes fecerint, pro indiviſo res præſtari nequit, adeoque non una ſed diverſa res relicta eſt, *Dn. D. Riemer decad. 7. q. 5.*

15 Diſtribuitur conjunctio, in conjunctionem Legis & conjunctionem hominis. Quod quidem expreſſa LL. diſpoſitione non fundatur, *Duar. 1 de J. A. 14. Gerhard. d. diſp. th. 11. Hillig. d. cap. 13. lit. B.* Ex interpretatione tamen & mente Legis colligitur. Nam cum interdum conjunctio à Legibus ponatur inter eos, qui vel nulla defuncti voluntate, imo etiam contra ipſius voluntatem conjunguntur, *l. 12. pr. de bon. poſſeſſ. contra tab. l. 1. § 12. de conjung. cum emanc.* neceſſe eſt, ut tum alia ſit conjunctio ab illa quæ eſt ex voluntate teſtatoris. Eſt igitur conjunctio legis, quæ in ſubſidium, ne quid abſurdi in jure committatur, mera juris diſpoſitione introducta. Hæc locum habet, quoties ab inteſtato defertur ſucceſſio univerſalis, ſive ex L. 12. tab. quæ dicitur legitima, ſive ex jure Prætorio, quod viva quædam Lex eſt, *l. 8. de J. & J.* Sive ex jure Novellarum, *Nov. 1. cap. 1 § 1.* Hanc autem negamus ſi adſint codicilli nam hi etiam defuncti voluntatem continent, *l. 16. in fin. l. 8. § 1. ff. de jure codic.* Nec inter dominos, quorum ſervo communi legatum eſt, ullam agnoſcimus Legis conjunctionem, cum ipſa lex eam neget. *l. 20. de Leg. 2.* Conjunctio hominis citra ullam juris neceſſitatem ex arbitrio hominis dependet. Et ſi conjunctio hominis hoc tantum operaretur, quod alias ex Legis eſſet conjunctione, ſupervacua eſſet. E. G. Titius & Sempronius

here-

heredes ſunto, *l. 9. § l. fin. de diſtract. pign, l. 69. de hered. inſt.* Actum tamen ipſum non vitiat, *l. 17. C. de teſtam. l. 12. quand. dies leg. vel fideic. ced.* Tantiſper igitur in teſtamentaria conjunctione eſt conjunctio hominis, quatenus novi aliquid eſt adjectum. V. G. Titius heres eſto ex fundo Corneliano, Mævius & Sempronius heredes ſunto ex fundo Sejano. Inter omnes conjunctio Legis eſt, quia omnes ſunt heredes, *l. 9. § 13. l. 13. § 4. de hered. inſt. l. 78. eod.* Inter Mævium & Sempronium eſt conjunctio tantum hominis, in beſiem *Dn. D. Riemer. d. loc. c. 7. n. 3. c. 8. n. 7.*

16. Conjunctio hominis [nam in conjunctione Legis hoc diſcrimen non magnopere attendimus, *Suev. 1. de J. A. 3. p. 80.*] rurſum eſt triplex *l. 89. de Leg. 3. l. 142. de V. S.* quam alii ad dichotomiam revocant, ut alia ſit Conjunctio Simplex, quæ rurſum vel Realis vel Verbalis: alia Mixta, quæ ex utriusque extremis aliquid participat. Nam ſive duplicem ſive triplicem conjunctionem faciamus nihil intereſt, *arg. l. 1. ff. de pact. Vultej. ad § fin. Inſt. de don. num. 5. Dn. D. Riemer. d. loc. num. 1. 2.* Ex his alii magis alii minus conjuncti ſunt, *Duar. 1. de J. A. 6. in fin.*

17. Re Conjuncti dicuntur etiam disjuncti, *§ 8. Inſt. de Leg. l. 34. pr. de Leg. 1. l. un. § 11. C. de C. T.* Item ſeparati, *l. 33. § 1. de Leg. 1. l. 1. § 3. de V. A.* quod nulla inter eos eſt conjunctio præter communem omnibus conjunctis, nempe quod ad eandem rem vocentur. Id enim in omnibus conjunctorum generibus accidit. Cum igitur hi unum tantum conjunctionis vinculum videlicet rei tantum, reliqua duplex & verbale & reale habeant, in comparatione cum reliquis recte dicuntur disjuncti, *Duar. 1. de J. A. 6. Gerhard. d. diſp. th. 14.* Et disjunctim legare nobis hic idem eſt, quod diverſis orationibus legare, *Suev. d. c. 3.* quantumvis illæ ſint contiguæ ac proxime vicinæ, imo etiamſi intercedat copula, *Hillig. ad Donell. d. cap. 13. lit. D.* nec refert quod earum altera non ſit abſoluta: verbum enim eſt repetendum ſalva recti ſermonis ratione, *l. 8. de aur. & arg. leg.* Sunt itaque re conjuncti, quibus ſingulis eadem res relinquitur in ſolidum, ut demum concurſu partes faciant. E. G. Titio Fundum Cornelianum lego, Sempronio fundum Cornelianum lego. Titius heres eſto Sempronius heres eſto, *Duar. d. c. 6.* Cæterum hi disjuncti differunt ab omnino disjunctis; inter illos enim ne quidem rei conjunctio intercedit, *l. 84. § pen. de Leg. 2. Hillig. de lit. D.*

18. Verum plerumque ejuſmodi occurrunt ſpecies, in quibus an realis ſit conjunctio difficile eſt judicare. Quare ex verborum vi & ex conjectura voluntatis æſtimandas eſſe DD. tradunt. Nam ſi appareat teſtatorem ſingulis ſolidum, etiamſi concurrant relinquere voluiſſe, uni debetur æſtimatio, alteri res, *l. 33. § 1. de Leg. 1. de l. un. § 11. verſ. ſin autem disjunctim. C. de C. T.* quod facile dignoſcitur ſi diverſis heredibus ſolidum ſingulis relictum ſit. *Duar. 1. de J. A. 7.* Quo caſu nulla eſt conjunctio quia æſtimatio diverſa eſt ab ipſa re, *Gerhard. d. diſp. th. 14.*

19. Item ſi quantitas non ſpecies ſit legata nulla eſt realis conjunctio,

[illegible], arg. l. 34. §. 12. de Leg. 1. Jaſon. ad L. re conjuncti, de Leg. 3. n. 57. Nam [illegible] ſumma diviſa, l. 35. de condit. & dem. [illegible] de Leg. 2. & omnibus una ſumma relicta, d. l. 36. l. 38. [illegible] evidentiſſime probetur multiplicare eam voluiſſe teſtatorem, [illegible] l. de Leg. 1. quod invitat [illegible] legatarius. Huic tamen [illegible] hoc [illegible], ſi diverſis inſtrumentis puta teſtamento & codicillis, eandem quantitatem teſtator legaverit, l. 12. de prob. Cujac. 14. [illegible] voluntas ſpectanda. Quare ſi appareat teſtatorem non voluiſſe ſummam dividere, pro conjunctis habebuntur, [illegible], l. 51. de Leg. 1. ex qua explicanda, l. 15. [illegible] lit. L. Fumæus de conjunct. pr. n. 4.

10. Similiter non eſt ambiguitatis expers quæſtio, an teſtator [illegible] conjungere voluerit, quos prima facie re conjunxiſſe videbatur? Quæ etiam ex conjecturis erit decidenda, l. 33. verſ. quod ſi. de Leg. 1. Nec hic intereſſe poteſt an relativum *quod* ponatur, an alia vox ipſi æquipollens? Duaren. d. c. 7. contra quàm ſtatuit, Fumæus de conjunct. pr. n. 6. & 7. Nec formulæ ademtionis attendendæ, cum quibusvis verbis fieri poſſit, pr. Inſt. de ademt. leg. VVeſenbeck. paratit. eod. tit. n. 2. Diſtinguendum tamen inter heredes, l. 15. de hered. inſtit. & legatarios, l. 5. de adim. leg. Nam non tam facile inſtitutiones revocantur quam legata, l. 22. de adim. leg. Dn. D. Riemer, d. loc. c. 10. n. 4.

11. Legis conjunctio ſemper eſt realis, Famæus de conjunct. cap. 5. n. 3. At hominis conjunctio realis in hereditatibus, ſi quid amplius præter legalem conjunctionem operari debet, ſemper in eadem hereditatis parte fieri debet, Jaſ. ad d. l. re conjuncti n. 44. per l. 17. §. 1. de hered. inſtit. Quod non tantum in reali, ſed & reliquis conjunctionis ſpeciebus ſtatuit, Dn. D. Riemer. d. c. 10. n. 3.

12. Verbis conjuncti in l. 89. de Leg. 3. l. 142. de V. S. conjunctis connumerantur, ſed §. 8. I. de leg. omittuntur, 1. Non quod juri ſint ignoti, ſed quod ibi tantum exempla non ſpecies conjunctorum proponantur, Bach. d. lib. 3. lit. C. p. 772. 2. Quod ibi agatur de conjunctis qui concurſu faciunt partes, d. §. 8. ibi ſi ambo perveniant. At verbis conjuncti non faciunt partes concurſu, ſed ab initio habent à teſtatore factas, d. l. 89. Giphan. ad d. §. 8. 3. Quod verbis conjuncti ſemper effectu mixtim conjunctis inſunt, VVeſenb. ad d. §. 8. lit. A. Nam propter externam verborum formam, docendi cauſa ita appellantur; ſiquidem teſtator partes adſcripſit, non quod omnino non ſolidum ſingulos habere velit in caſum defectus, ſed quod magis caſum concurſus reſpexerit in verbis conjunctis, quam in reliquis, Bach. d. p. 772. Duar. 1. de J. A. 6.

13. Verbis conjuncti ſunt quibus eadem res, eadem oratione, æquis portionibus, pro indiviſo relinquitur: E. G. Titius & Mævius æquis partibus heredes ſunto. Titio & Sejo fundum æquis partibus do, lego, l. 89. de Leg. 3. ſi tamē ex aliis circumſtantiis aliquid ambiguitatis oriatur,

 mens

mens teſtatoris inſpicienda eſt, cùm teſtatores non ſolum conjunctionis, ſed & celeritatis atque compendii cauſa ita loqui conſueverint, *l. 66. de hered. inſtit.* in dubio tamen conjunxiſſe præſumitur, *l. 33. de Leg. 1 d. Lum. §. 11. verſ. ſin autem disjunctim Duar. 1 de l A. 9.*

14. Orationis identitas non conſiſtit in copula Et, ſed in unitate contextus. Nec intereſt copulative, *d. l. 142. de V. S.* diſtributive, *l. ult. C. de impub. & aliis ſubſt.* collective, *l. 13. pr. de hered. inſtit. l. 15. in fin. de Leg. 1.* vel alternative, *l. 53. de V. S. l. 4. C. eod.* teſtator loquatur. Adverſativa nunquam inducit conjunctionem, cum ſemper adjunctum in ea reſideat, & una niſi duas orationes conſtituere poſſit, *Dn. D. Riemer. d. l. cap. 11. num. 4.* In diverſis igitur orationibus copula non inducit identitatem, tametſi E ſyllaba conjunctionem facere dicatur, *l. 66. de hered. inſt. l. 5. [illegible]* Nec enim admittendum ut copulativa oratio majorem habeat vim ad inducendum conjunctionem verbalem, quam ſoluta, ubi punctus etiam conjunctionem facit, *§. 8. Inſt. de Leg. Duar. d. loc. Fumanus c. 2. de conjunct. Iaſon. ad d. l. re conjuncti num. 86. Gerbard. d. diſp. th. 21.*

25. Partes vero adjectæ ſunt indiviſæ [cæteroquin ne conjuncti quidem eſſent, *ut dictum ſup. th. 14. num. 1.*] quæ non important realis conjunctionis deſtructionem, *Donell. d. cap. 13. & ibi Hilig. lit. H. Dn. D. Riemer. d. cap. 11. num. 1.* Nam licet dicantur certæ partes etiam indiviſæ, tamen id intelligendum de certitudine quantitatis, *l. 32. in fin. de uſurp. & uſucap. l. 26. de adquir. poſſ.* non de certitudine ſubjecti, quæ facit ut non amplius res ſit una ſed plures. Nam ſi noverim, dimidiam partem fundi Corneliani meam fore in diviſione, certus ſum de quantitate meæ portionis, ſed ante diviſionem incertus ſum, anne pars anterior an poſterior mea ſit futura, quod ſi jam certum eſſet, non amplius pars ſed totum dicendum eſſet, *l. 6. §. 1. verſ. plane ff. commun. præd. l. 25. §. 1. de V. S.* Dn. D. *Riemer. d. c. 11. n. 5.*

26. Hæ partes inſuper æquales eſſe debent, Nam ex inæqualibus partibus verbalis conjunctio deſcendere nequit, cum non poſſint inæquales partes nominatim exprimi, quin orationum inducatur pluralitas, Dn. D. *Riemer. d. c. 11. n. 3.*

27. Re & verbis conjuncti, qui vulgò mixtim conjuncti dici ſolent, *ſup. th. 16.* definiuntur à JCto Paulo quos nominum & rei complexus coniungit, *d. l. 142. de V. S.* Quæ planius ita proponi ſolet, Re & verbis conjuncti ſunt, qui eadem oratione ſimul ad eandem rem vocantur partibus nullis expreſſis, *Gerbard. d. diſp. 7. th. 25.* Hi præ omnibus reliquis magis conjuncti ſunt, *d. l. 89.* Ideoque ſoli nonnunquam nomine conjunctorum veniunt, *d. §. 5.* Exempla ſunt in *d. l. 142. & d. §. 8. V. Fumanum de conjunct. c. conjunctio mixta n. 3. Dn. D. Riemer. d. loc. c. 12. n. 2.*

28. Solidum ab initio mixtim conjunctos habere ex antecedente teſtatoris voluntate probabilius videtur, 1. Per *l. 50. de Leg. 3. l. [illegible] de reb. dub. l. 12. pr. l. 16. in fin. de Leg. 1.* 2. Cum partes non expreſſerit teſtator ut in verbis conjunctis, præſumitur ex verborum intellectu ſolidum

[illegible] voluiſſe, ſed ſecundaria & conſequente voluntate in caſum alterius partes factæ dicuntur, *l.* [illegible] *de Leg.1. l.* [illegible] *§. 1. verſ. hujuſmodi* [illegible] 3. Quia concurſu tantum partes faciunt, *arg.d.l.*[illegible]. 4. Niſi haberent ab initio ſolidum, ne quidem mixtim conjunctim eſſent dicendi, cum ex ratione nihil haberent commune cum re conjunctis, & non ſolum effectu ſed & ipſo verborum intellectu idem eſſent cum verbis conjunctis & ſolum externo ſonu different, *Famaus de conjunct. d.c.* [illegible] *94.*

39. Inter conjunctis locus eſt juri accreſcendi, 1.Per *l.30.de cond. & demonſt.* [illegible] *de hered.* [illegible] *l.41. de leg.1.* 2. Quia legatum non minuitur vel ipſi quid decreſcit, *d.l.un.* [illegible] *11.verſ. ſin &.nemo.junct.a l.10 de Leg.*[illegible] vero in *d. §.11* diſpoſitum ſit, quod nō accreſcat, ſi alter non veniat, tamen id non ſimpliciter ſed modificate & qualificative negatur, *nimirum* [illegible] *qui primus accepit legatum, augeat:* Ergo à contrario ſequitur ita accreſcere ut non augeat. Nec enim abſurde quid dicitur accreſcere & tamen non augere; cum accreſcere etiam dicatur, quod non [illegible], *d.l.10.* 3. Quia non ſimpliciter & abſolute ex teſtatoris voluntate expreſſa habent ſolidum, ſed tantum in caſum defectus conjuncti, cæteroquin alteri res alteri æſtimatio deberetur, *d §. 11.& ſin a. disjunctim.* Unde in *d.l.*[illegible] non vere ſed quaſi ſolidum ab initio relictum dicitur; item non [illegible] ſed tantum prima facie, *d.§.11.d.§. ſin a.disjunctim*, & ſubtilitate juris [illegible] partes ab initio fieri, *l.34 § 9.de Leg.1.* Quin & omnes conjuncti [illegible] ſolidum habent ab initio, *d.l 80. de Leg.3. l 3. de V. A.* licet expreſſa voluntas teſtatoris non adſit. 4. Quia non partium vel ſolidi aſſignatio Jus Accreſcendi producit, ſed voluntas teſtantis plures ad eandem rem vocantis. 5. Quia quamdiu collegatarius in eo eſt, ut concurrere poſſit, non niſi partes ſinguli habent, *l. 34 §. 10. arg.l.99.de Leg.1 Hillig d.c 13 lit.I. & 18.comm.20.lit. F. Sueb 1.de J. A.5.*

40. Verbis etiam conjuncti Jure Accreſcendi gaudent, 1. Per *l. 16.inf. de Leg 1. l 6.& 7 de reb dub.* 2. Quia ſi apparet, teſtatorem celerius loqui, nec conjungere voluiſſe, ac proinde negatur Jus Accreſcendi, ſequitur ſi non celerius loqui ſed conjungere voluiſſe conſtat, locus erit juri accreſcendi. 3 Quia dum ad unam rem licet expreſſis partibus ſed indiviſis plures teſtator vocat, prædilexiſſe conjunctum videtur, ut ſi alter deficiat, portio legati non apud heredem permaneat, ſed collegatario, accreſcat. 4. Quia niſi inter eos Jus accreſcendi locum haberet, verbis conjuncti plane nihil differrent ab omnino disjunctis, *l. 84. §. 13. de Leg. 1. Hillig. ad Donell. d.c,13 lit.R.* 5. Quia disjunctis non accreſcit, *l. 1.pr. l. pen.de V. A.* ſi conjunctis accreſcit, *Dn D. Riemer.d.loc.c.13 n.5.* 6. Quia verbis conjuncti ſunt utiq; conjuncti, *d.l.142.d.l.89.* At conjunctionis in hac materia nullus eſt alius effectus, quam Jus Accreſcendi. 7 Quia verbis conjunctus præfertur re conjuncto, *d.l 89.* At prælatio præſupponit Jus Accreſcendi, *Bachov. d. theſ 3 lit. C. pag.771. & ſeq.* 8. Quia eadem ratio, quæ militat in cæteris conjunctis, ut habeant Jus Accreſcendi,

etiam in verbis conjunctis militat, videlicet ne pro parte valeat diſpoſitio, pro parte non, *l. l. un. §. 10. verſ. hic ita Nob. & pr. § 1. Dn. D. Riemer. D. tract. 7. quæſt. 7. Gerhard. d. diſp. th. 52. 53. 54. Sueb. 2. de J. A. 3. Duar. 2. de J. A.* [illegible]

31. Pariter nec in re & verbis ſimul conjunctis Jus Accreſcendi ceſſat. 1. Per *l. un. §. 10. 11. C. de C. T. l. 5. & 7. de Reb. dub. l. 9. eod. l. 1. § 3. de U. A. §. 8. Inſt. de Leg.* 2. Quia unius vice funguntur, *l. 34. pr. de Leg. 1. quibus addantur rationes in proxime præcedentibus theſib. adductæ.* Verum excipiunt DD. caſum, quo is qui non admittitur conjuncto partem facit, non obſtat, quo minus conjuncto totum debeatur, *Hilliger. ad Dn. D. Riemer. 10. lit. G.* quod fit, ſi alter conjunctorum tempore teſtamenti facti in rerum natura neque potentia neque actu fuerit, *d. l. un. § 3.* ſi quis teſtator ignoraverit nec in eum caſum ſubſtitutum vel conjunctum dederit, *d. § 3. ibi niſi vacuatu, &c. & § 4. ibi: niſi & in hunc caſum, quo pertinet, l. 16. pr. de leg. 1. l. 84. § 8. de Leg. 1.* 2. Excipitur caſus quo duobus ſub conditione, quæ ab uno conjunctorum debet impleri, fuit relictum legatum, & ei, qui implere debebat, jure ſpeciali conditio remiſſa ſit, *l. 24. de condit. & dem. Sueb. 2. de J. A. 3. Duar. 2. de J. A. ult. Fachin. 4. controv. 99. Dn. D. Riemer. d. cap. 13. num. 2.*

32. Sin contingat ut diverſi generis conjuncti permiſti inveniantur, alii aliis potiores eſſe cenſentur, & magis conjuncti minus conjunctis in parte vacante præferuntur. Primo enim conjunctorum hominis potior eſt ratio, quam conjunctorum Legis, *l. 23. in f. C. de Leg. l. 89. de R. J.* nam proviſio hominis tollit proviſionem legis, *d. l. 23. in fin. Dn. D. Riemer, d. loc. c. ult. n. 1.* Niſi teſtatorem aliud voluiſſe aliunde conſtet, *l. 82. de hered. inſt. Jaſon. d. l. re conjuncti n. 160.* 2. Re & verbis ſimul conjuncti cæteris omnibus præferuntur, *d. l. 89.* Nam reliqui cum mixtim conjunctis ſunt tantum re conjuncti, & ita verbis disjuncti; mixtim vero conjuncti ſunt & re & verbis conjuncti, adeoque maxime conjuncti, ſiquidem duplex vinculum uni præfertur, *arg. Auth. hoc C. comm. de Leg. Duar. 2. de J. A. 7. Gerhard. d. diſp. 7. th. 59. Sueb. 3. de J. A. 1. p. 121. Dn. D. Riemer d. c. ult. n. 3.* 3. Verbis tantum conjuncti præferuntur re conjunctis, *d. l. 89.* Nam & hi aliquid amplius habent quam cæteri conjuncti, quod eadem oratione cum partium adſignatione vocatur. Et ita intelligenda eſt, *d. l. 89. in quæ verſ. & magis eſt,* ad proxime præcedentem quæſtionem referri debet; nec ſine divinatione ad ea quæ de mixtim conjunctis dicta, trahi poteſt, *v. Jaſ. ad d. l. re conjuncti, n. 11. & ſeqq. num 34. 35. 46. & ſeq. & a n. 148 ad n. 154.* Re vero conjuncti aliis conjunctis nunquam præferuntur, cum nihil habeant, quod cæteris non ſit commune. Nam & mixtim conjuncti, re conjunctis & verbis conjunctis, & vice verſa, inter ſe ſunt re conjuncti, *l. 59. de hered. inſt. Duar. 1. de J. A. 11. Gerhard. d. diſp. th. 57.*

33. Sunt etiam conjunctiores nonnunquam in uno conjunctionis genere, & illi cæteris non minus præferuntur, quam magis conjuncti diverſo conjunctionis genere. Nam qui collectiva particula conjunguntur,

[illegible] ſimpliciter conjuncti eodem conjunctionis genere præferuntur, *l. 15 pr. de hered. inſt. l. 3 de V. A.* Jus enim prælationis in arctiori conjunctione fundatur, quæ etiam eſt in collectivo nomine vocatis, utpote qui non tantum ex unitate orationis, ſed etiam ex unitate verbi collectivi fortius ſunt conjuncti, *Duar. 2. de J. A. 9. Jaſon. ad d. l. re conjuncti n. 15. Hillig. d. cap.* [illegible] *V.* Similiter in Legali conjunctione ab inteſtato venientes alii [illegible] conjunctiores, & ſibi invicem præferuntur, *l. 12. de bon. poſſeß. contra tab. l.* [illegible] *de conjung. cum emanc. lib. l. 5 §. fin. ſi tab. teſt. null. Nov. 118 cap. 3. Duar. 2 de J. A. 10. Hillig. d. cap. 13. lit. X.*

34. Ut autem Juri Accreſcendi locus ſit, partem conjuncti deficere & vacuam eſſe neceſſe eſt, quod apud veteres tribus modis fieri dicebatur, quos v. *d. l. un. §. 2. 3. 4. 5. C. de C. T. Donell. 7 comm. 12.* Hodie nihil intereſt, quo modo quis deficiat; nullus enim exceptus reperitur, in *d. l. un.* quam is, cui quid tanquam indigno aufertur, *d. l. un. § 12.* ex qua interpretatio ſumenda, *§ 8. Inſt. de Leg. Duar. 1. de I. A. 18. Gerhard. d. diſp. th. 36.* Videri tamen poſſit, nec eorum partem, qui partem facere dicuntur, de quibus *ſup. th. 31.* ad effectum Juris Accreſcendi deficere: tum quod *d. l. un. § 1.* eum modum ſua diſpoſitione veteri relinquit; tum quod in *d. l. un. § 11.* Juſtinianus his verbis utatur, *& nos SIMILI modo intacta ſervamus*, quibus aliquid præter ea, quæ ut indignis auferuntur, exceptum præſupponit. Denique non attenditur, an portio deficiat ipſo jure an ope exceptionis, *l.* [illegible] *de R. J. Jaſon. ad d. l. re conjuncti, n. 201. & ſeqq. Duar. 1. de I. A. 19. Fachin. 4. controv. 96. Hillig. d. cap. 12 lit. M.*

35. Deficit regulariter pars delata non adquiſita. Sicut enim ſubſtitutio expirat aditione, *l. 5. C. de imp. & al. ſubſt.* ita & Jus Accreſcendi, quod ſubſtitutioni comparatur, *l. 61. § 1. de Leg. 2.* Excipitur Uſusfructus, qui ſemel conſtitutus & poſtea amiſſus, nihilominus Jus Accreſcendi admittit, *l. 1. § 3. de V. A.* quia uſusfructus adquiritur patientia debitoris, quæ tractum habet temporis, *l. 3 pr. de uſufruct.* ac proinde nunquam dici poteſt omnino adquiſitus. Quo digitum intenderunt JCti, dicentes uſumfructum quotidie conſtitui & legari, *d. l. 1. § 3. adde l. 1. quand. dies uſufr. leg. ced. Duar. 1. de I. A. 21. Gerh. d. diſp. th. 38 39. Hillig. ad Don. 10. comm. 13. lit. B.* 2. Excipiunt etiam adſignationem liberti, *l. 4. & 5. de adſign. lib.* 3. Donationem factam a muliere ſecundo nubente liberis ex priori matrimonii ſuſceptis, *l. 4. C. ad SCtum Tertull.* 4. Cum minor in integrum reſtituitur poſt aditionem hereditatis, *l. 61. l. pen. de adquir. hered. l. 44. de Re judic.* 5. Cum heres privatur hereditate, quod non paruerit voluntati defuncti, *Nov. 1. c. 1 § 1.* 6. Huc refert, *Duar. d. c. 21.* donationem Principis, *arg. l. un. C. Si liberal. imper. ſoc. Fumanus de conjunct. cap. ult. num. 3. Gothofr. ad d. l. un. lit. Y.* Sed *Sueb. 2. de I. A. 2 p. 71.* id ipſum negat, *Hillig. 7. comm. 12. Dn. D. Riemer. in 2 de I. A. quæſt. princ. 11.*

36. Accreſcit portio in proprietate non perſonæ ſed portioni, quod in uſufructu inverſo modo fieri, cautum reperitur ut uſusfructus

portio non portioni ſed perſonæ accreſcat. Neque hic in conſiderationem venit, an habenti an amittenti uſusfructus accedat, Generalis enim eſt textus, *in l. 14. de except. rei jud.* nec ſine contradictione id *ex l. 10. de V. S.* colligi poteſt. Quam *l. 10* difficilem reddunt, diverſæ DD. explicationes, quæ tamen in ſe non adeo videtur ſcrupuloſa. Ratio autem diverſitatis inter uſumfructum & proprietatem eſt, quod uſusfructus perſonæ inhæreat. Cum enim in facto perſonæ conſiſtat, illa potius quam res ſpectatur *Donell 10 comm. 23.* Uſusfructus enim ratione facti individui individuus eſt, & ſic ab omnibus fructuariis in ſolidum habetur, *l. 19. de uſu & hab.* ratione vero fructuum & commoditatum partes habere dicuntur. Quod igitur ſinguli uſumfructum ut domini juris individui in ſolidum habeant: quamdiu unus utitur, uſusfructus in ſuo ſtatu manet, *l. 1. §. 2. de V. S. Hillig ad Don. 10. comm. 24. lit. A. Dn. D. Riem. dec. 5. q 7.* At proprietas rei concreta & natura ſua dividua eſt, & concurſu in partes reales divellitur, quæ non poſſunt rurſum coire & coaleſcere jure accreſcēdi, *ut dictū th. 35.*

37. In hereditatibus ſemper in legatis tantum verbis conjunctis cum onere accreſcit, reliquis conjunctis ſine onere, Nam in hereditatib9 onus non perſonæ apponitur, ſed ipſi hereditati, ut cum hereditate ad heredes perveniat, *arg. l. 24. in fin. ff de Nov. l. 138. l. 139 de R. J.* Quod etiam de Legatis quæ verbali conjunctione relicta ſunt, cautum reperimus, *d. l. un. §. 11. verſ. ſi v. pars*, ubi dicitur Portio cum omni ſuo onere accreſcere, cui congruit, *d l un § 9 ibi hoc cum ſuo onere pervenire, & ibid § 4 dicitur gravamen complexum eſſe ab initio, hereditatem vel legatum vel fideicommiſſum.* In cæteris vero conjunctionis ſpeciebus onus perſonæ adſcriptū perhibetur, *d §. 11. ibi: & ideo ſi onus fuerit in perſona ejus; item ibi: ſin autem ad deficientis perſonam.* Tametſi vero verba de disjunctis ſint concepta, tamen cum ratio ibidem hæc ſit, quod cum ſingulis ſolidum reliquerit, non potuit portioni ſed perſonæ adjicere onus, Et vero eadem ratio in mixtim conjunctis obtineat, ut apparet ex *th. 28.* Quidni & idem jus in illis ſtatuendum? Quocirca *l. 29. in f. ff. de Leg. 2.* ut & alia contraria jura, ſecundum *d l un.* ſunt explicanda. *Duar. 2. de J. A. 2. Gerbard. d. Diſſ. th. 49. Hillig. d cap. 12. lit. R & 8. comm. 29. lit. F.*

37. Idque pro parte hereditaria, *d. l un. §. 8. & 10.* vel legati, *d l. unica §. 11 & d § 8.* ubi vox *virilis* ſecundum *Duar. 2. de J. A 4.* accipienda pro portione viri cujusq; & pro numero perſonarum etiamſi partes æquales non ſint, *l. 145 de V. S.* cum ratio diverſitatis in legato dari non poſſit. Quin imò eadem planè in utroque eſt ratio, quod, quem plus dilexit teſtator, eum præ aliis honorando majori lucro, ei etiam plus accreſcere voluiſſe, præſumitur teſtator, *V. Fachin 4. contr 95. Gerbard. d. diſſ. th. 72. per. l. 41. de Leg. 2.*

38. Et quidem invito, non tamen ſimpliciter ſed tum demum, cum quis partem ſuam adierit, ſciens portionem abſtinentis eſſe vacuam *l. 38. de adquir. bered.* Nam ſi quis adierit antequam ſciret partem eſſe vacuam,

ſuam, liberum ei relictum eſt, aut totam hereditatem agnoſcere aut totam repudiare, l. 55. d. tit. quod non eſt beneficium prætorium ſuis tantum competens ut vult Duar. 2. de J. A. 1. ſed extraneo idem tribuitur d. l. 55. In legatis eadem eſt ratio cum in fideicommiſſario idem expreſſe decidatur l. 78. ad SC. Trebell. Nam & legatarius ſi ſcivit, partem abſtinentis eſſe vacuam, ea conditione ſuam partem agnoviſſe præſumitur, ut & alteram agnoſceret. Generaliter enim d. l. 78. loquitur. Nec apparet ratio differentiæ & hoc in caſu, cur aliud in Legatis aliud in hereditatibus ſit ſtatuendum. Neque etiam hac in parte inter conjunctos diſcrimen agnoſcimus, cum *Dn. D. Riemero dec. 7. quæſt. 6. & 2 de J. A. quæſt. princ. 15.*

39. Obtinet Jus Accreſcendi in hereditatibus & legatis *per hactenus dicta*. In Fideicommiſſis *per l. 43. 79. ad SC. Trebell. l. 114. §. 11. in fin. de leg. 1.* tam ab inteſtato quam ex teſtamento relictis, *Hillig ad Donell. 7. ſumm. 28. lit. A. B. Gerhard d. diſp. th. 44. & 61.* Ita ut etiam in heredes tranſeat, *l. 9. de ſuis & leg. hered. l. ult. C. de hered. inſt. l. 3. ff. de pet. hered. l. 7. in fin. de adquir. hered. l. 65. 70. de V. S. l. 194. de R. J. ſac. d. l. un. §. 10. ibi: etiamſi defuncti ante § ult. Inſt. de SC Orfic. Duar. 2 de J. A. 6. & 17. Hillig. d. cap. 12. lit. I. Gerhard. d. diſp. th. 45.* Quod in uſufructu negat, *Jaſon. ad d. l. re conjuncti, num. 124.* Unde & in Edicto ſucceſſorio & Bonorum poſſeſſione locus eſt Juri Accreſcendi, *§. 4. & 5. Inſt de bon. poſſ. l. 4. quis ord. in poſſ. l. un. C. quand. non pet. part. Duar 1. de J. A. 20. & lib. 2 cap. 18. Jaſon. d. l. 89. num. 163.* Item in querela inofficioſi, *l. 23. § ult. de inoff. teſtam. l. 14. 17. eod. Gerhard th. 47. Jaſon ad d. l. 89. num. 238.* In unione prolium, ſed non ut in contractu, ſed ut in ſucceſſione, licet inducatur per contractum. Nam & in Adoptione eſt jus accreſcendi, non ex conventione adoptionis, ſed quatenus liberi effecti, *Sueb. 2 de J. A. 2. Hillig. d. cap. 12. lit. L.* In donatione mortis cauſa, *d. l. un. §. 14.* quæ ſimilis eſt Legato, *l. ult. C. de mort. cauſa. § 1. Inſt. de donat. Gerhard. th. 68.* In mortis cauſa capionibus, *d. l. un. §. 14. l. 23. de cond. & dem. Duar. 1. de J. A. 16.* In aſſignatione libertorum, *l. 3. § ult. l. 4. l. 5. pr. §. 1. de adſing. lib. Gerhard. theſ. 41. Fumæus de conjunct. cap. pars hereditatis num. 2.* In feudo paterno & hereditario, *arg. 2. feud. 12. 1 feud. 14. § ult. Dn. D. Riemer d. part. 2 quæſt. princ. 35.* In ſucceſſione Fiſci, *Jaſ. d. l. 89. n. 217.*

40. Ceſſat vero 1. In teſtamento militis, *l. 37. de teſt. milit. Hillig. d. c. 12. lit. L.* 2. In alimentis relictis, *l. 57. §. 1. de uſufr.* cum enim teſtator in alimenta legaverit, videtur voluiſſe ne ultra modum alimentorum quicquam habeant ſinguli legatarii, *arg. l. 16. § 2. de alim. leg. l. 3. §. debebit autem. eod. l. 95. §. 1. ad L. Falc. Duar. 2. de J. A. 14. Juſtus Meier ad lib. 7. ff. tit. 2. th. 11. & ad lib. 30. th. 45. Fumæus de conjunct. c. in quocunq. Jaſ. ad d. l. 89. n. 174.* 3. In contractibus 1. Per *l. 110. de V. O. §. 4. verſ. quod ſi l. de inut. ſtip. [illegible] eſenb. lit. B & C.* 2. Quia omnes ll. quæ de J. A. ſunt promulgatæ, loquuntur de Legatis & hereditatibus, 3. Quia ratio inductiva ceſſat in contractibus; nam quod etiam in contractibus nemo conventionis

partem

partem approbare partem improbare poſſit, fuit ex facto ipſius partis, cum quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt, *l.5.C. de inoffic. teſt.* At in legatis id unice pendet ex voluntate teſtatoris, non ex facto legatarii, *Duar.1.de I. A.15. Sueb.2 de I.A 2.p.65.& ſeqq. Gerbard.th.72.* Unde 4. Jus accreſcendi non habet emtor hereditatis, quia id videtur emere, quod habiturus eſſet venditor tempore contractus, *l.2.§.1.de act.emt.* at partem accreſcentem non habiturus erat tempore contractus venditor, cum adhuc ſperabatur concurſus conjuncti. 2. Quia alea, i.e. ſpes non emitur, *l.7 de act emti.* 3. Quia nulla eſt conjunctio inter legatarium & emtorem, utpote de quo ne cogitavit quidem teſtator. 4. Quia venditor hereditatis retinet omnia jura directa, *l.14 ff.mandat. l.2.C.de pact. l.2.de act emti.* 8. & Jus accreſcendi, *Iaſ.ad d.l.89 num.125. & ſeqq. Cujac. 12.obſerv.12. Fach 5.controv.101.10.controv.69.Hillig.d.cap.12.lit.I.* 5. Ceſſat in Donatione inter vivos, *Duar.d.cap.16.* 6. In uſufructu inter vivos conſtituto, *Dn D. Riemer, d part.2.quaeſt.pr.33.*

41. Caeterum etiamſi ipſo jure portio vacans accreſcat, *l 1.§.8.de bon. poſſ. ſec. tab.* ſi tamen pars illa vel ſit adhuc penes heredem vel alium poſſeſſorem, eadem actione qua pars cui accreſcit petitur. Nam ſaepe dicitur quid ipſo jure fieri, quod quidem ab ipſa lege fit, facto tamen hominis requiſito, *VVeſenb in parat.de compenſ.num 8.* Cum enim res principalis & ejus acceſſio diverſo jure cenſeri nequeat, *l. 26. §. 2. de pact. dot.* partem accreſcentem non diverſa, ſed eadem, qua priorem partem, conſequi poterimus, *Duar 2.de I.A.4 Sueb 3 de I.A cap ult Gerhard th.73.*

42. Impediunt Jus Accreſcendi. 1. Subſtitutio, *l. 2. §. 8. de bon. poſſeſſ ſec.tab. Auth.hoc amplius C.de fideicomm.* etiam tacita, *l fin.verſ. ſin autem nihil: ibi in totum partem ve.C de hered.inſt.* niſi appareat aliunde teſtatorem voluiſſe praeferre conjunctos ſubſtitutis, *l.30 de vulg. & pulp. l.fin.C.de inſt.& ſubſt.* vel conjunctio concurrat cum ſubſtitutione, *l.59.de adquir.hered.l.19 §.1 ff.de injuſt.rupt.l 6.C.de impub.ſubſt.* Suſpendit tamen ſubſtitutio Jus accreſcendi potius, quam quod penitus extinguat, *d.l.2.§ 8.Fumanus de conjunct c.ſi vero num.28. Duar.2.de I.A.16. Iaſ.ad d.l. 89.n.134 & ſeqq. Hillig.ad Donell.d.cap.12.lit.E.* 2. Prohibitio teſtatoris, qui poteſt in legatis omnino, in hereditatibus tum demum Jus accreſcendi tollere, quando nulla ſubeſt legis conjunctio, *l.78.§ 10 ad SCtum Trebell.* Unde ſi teſtator duos ex certis rebus heredes ſcripſerit, & altero deficiente agnoſcentem ſuam partem prohibuerit jure accreſcendi uti, proximis cognatis reſtituere, videtur rogaſſe, *arg.§.3.Inſt quib.mod.teſtam. infirm.ibi propter inſerta fideicomm.verba.l.29.ad SC.Treb.l.12 §.1.de injuſt rupt. Bach.vol.2. diſp.11.th.4. lit.C.D.E.p.618. Iaſ. d.l.89.n.207. & ſeqq.Duar.2.de I.A.15. Hillig. ad Don.d.c.12.lit.B.*

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA ...